DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
Præscriptione Longissimi Temporis.

QUAM,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris

FRANCISCI BURMANNI,

S. S. Theol. Doctoris & Professoris Ordinarii;

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini subjicit

CORNELIUS VALCKENIER, Amstelod.

Ad diem 1. AUGUSTI, *loco horisque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Apud GUILIELMUM vande WATER, Academiæ Typographum. cIↃ IↃ CCXVIII.

Nobilissimis, Amplissimis & Gravissimis

VIRIS

D. D. JACOBO VALCKENIER,

Civitatis Amstelodamensis Senatori & Collegii Scabinorum sæpius Præsidi, nunc ad Consessum Ordinum Generalium Fœderatæ Belgicæ, nomine ejusdem Civitatis, Delegato, &c. &c. Patri indulgentissimo, optime de me merito, filiali amore, pietate, obsequio, & reverentia, ad Urnam usque Colendo,

D.D. GYSBRECHTO VAN HOGENDORP,

Domino in Hofwege, Urbis & Dominii Steenbergæ Satrapæ, Quæstori supremo Belgii Fœderati Vigilantissimo, Avunculo affinitate juncto, plurimum Vencrando,

NEC NON

Clarissimo & Celeberrimo

VIRO

D.D. CORNELIO VAN ECK,

J. U. D. Olim in Franequerana, nunc vero in hac Celeberrima Trajectino-Academia, Juris Civilis ac Hodierni Professori Ordinario, suorum studiorum Moderatori, & Promotori Desideratissimo, & Æstimatissimo,

Hasce studiorum suorum primitias, ac se-ipsum devoto pectore

D. D. D.

CORNELIUS VALCKENIER.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
Præſcriptione Longiſſimi Temporis.

PROOEMIUM.



d conſequendos ſummos in utroque jure honores, & exhibendum aliquod ſpecimen meorum in jurisprudentia profectuum, eligendum putavi Diſputationis argumentum, quod non minorem Jure Hodierno, quam Romano, habet uſum & utilitatem. In quo breviter, pro ratione inſtituti, exponendo, hunc conſtitui ſervare ordinem, & docere, (1.) Quid ſit Præſcriptio (2.) Quotuplex ſit, ſcilicet, vel longi vel longiſſimi temporis (3.) Quid ſit Præſcriptio longi temporis & quænam inter illam & uſucapionem jure veteri fuerit differentia? (4.) Quid requiratur ad longi temporis Præſcriptionem, poſtquam à Juſtiniano confuſa eſt cum uſucapione, & in quibus rebus locum habeat? (5.) Quis ſit ejus effectus? (6.) Quid ſit Præſctiptio longiſſimi temporis, & quot anni ad eam requirantur? (7.) Quænam ſint ejus reliqua requiſita? (8.) Quis ſit ejus effectus? (9.) In quibus rebus, juribus, & actionibus locum habeat vel non? (10.) Quid ſit hodierna præſcriptio longiſſimi temporis? (11.) Quænam

nam sit ratio, & æquitas Usucapionis, & omnium Præscriptionum, Legibus introductarum, & Moribus receptarum?

CAPUT. I.

I. Præscriptio, à præscribendo dicta, proprie est, quidquid sancitum, statutum, vel quovis modo constitutum est, ut id sequamur, atque observemus. Sic verbum *præscribere* hoc proprio sensu accipitur in *L.* 1. *Cod. de Præscript.* 30. *vel* 40. *annor: qui provinciam regit, quod publico jure præscriptum est, statuet.* & in *l.* 1. *Cod. de Tutorib. vel curatorib. illustr. vel Clariss. personarum*, in verbis: *Ubi hujusmodi homines offeruntur, ut teneri possint, jure præscribimus.* Eodem sensu Cic. *Lib.* 4. *Academ. quæst. cap.* 46. ait: *Hæc norma, hæc regula, hæc præscriptio est naturæ.* & *lib.* 4. *Tusculan. quæst. cap.* 9. *Intemperantia est à recta ratione defectio, aversa à præscriptione rationis.*

II. Alio sensu hæc ratio loquendi accipitur apud eundem Ciceronem *lib.* 5. *Epist. ad Famil. Ep.* 2. in verbis: *Illud SCtum ea præscriptione est, ut, dum id extabit, officium meum in te obscurum esse non possit.* ubi vid. Manut. *in Comment.* Ut & in *tit. ff. de Præscriptis verbis, & in factum actionibus*, ubi vide Interpretes.

III. Usu autem invaluit, ut Præscriptio significet omnem exceptionem, sive perpetuam, sive temporalem, qua reus actorem, vel accusatorem repellit, ac summovet, ejusque intentionem excludit, & elusoriam reddit. Sic passim dicitur *præscriptio*, id est, exceptio, *doli mali. l.* 19. *ff. de solut.* præscriptio rei judicatæ *l.* 29. *ff. de exep. rei judicatæ*, præscriptio fori. *l.* 7. *ff. Qui satisd. cog.* Hinc exceptiones & præscriptiones conjunguntur in *lib.* 8. *Cod. tit.* 36. *de Exceptionibus & Præscription.*

IV. Proprie tamen, & stricte, ac in specie, exceptiones temporales, quæ actori, vel accusatori objiciuntur, quia non egit intra tempus legibus definitum, vocantur præscriptiones simpliciter & per excellentiam, vel præscriptiones temporis, aut temporales. *l.* 6. *ff. Si ingenuus esse dicetur. l.* 8. *Cod. Arbitr. tutelæ. tit. ff. de divers. temporalib. præscript. tit. Cod. de præscript. longi temp. tit. Cod. in quib. caus. cessat longi temporis præscriptio. tit. Cod. quibus non objicitur longi temp. præscript. tit. Cod. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.*

CA-

CAPUT II.

Præſcriptio autem, hoc ſenſu accepta, potiſſimum eſt duplex, vel longi temporis decem aut viginti annorum, vel longiſſimi temporis, triginta aut quadraginta annorum. vid. *Tit. ſupra allegatos.* Nam Præſcriptiones temporis anguſtioris explicare, ratio inſtituti & brevitatis, quam in hac Exercitatione obſervare decrevi, non patitur. Sufficiat eas digito indicaſſe. Exempla Præſcriptionis viginti horarum, unius diei, tridui, decem, viginti dierum, duorum, trium, quatuor, ſex, & novem menſium, ut & anni, biennii, triennii, quadriennii, quinquennii, aliorumque temporum videri poſſunt in legibus magno numero citatis à Cujacio in libro de Præſcriptionibus & Terminis, ut & a Clariſſimo Voetio in *Comment. ad Tit. ff. de Diverſis temp. Præſcript. num. 5. & 6.*

CAPUT III.

I. Præſcriptio longi temporis erat exceptio, quæ olim dabatur ei, qui vel rem non poſſederat, ſed hoc tantum intendebat, ut Judex declararet, actorem jus agendi lapſu temporis amiſiſſe, vid. *l. 2. ff. de Diverſ. tempor. præſcript.* vel poſſederat quidem, ſed non uſuceperat, vel quia erat in mala fide, vel quia conditio & natura rei non admittebat uſucapionem, veluti quia prædium erat provinciale ſive in provincia ſitum, vel quia res erat incorporalis. vid. *princip. Inſt. de Uſucap. & longi temp. præſcript.* tunc enim prætor, contra rigorem ſtricti Juris Civilis, ei, qui re, decem inter præſentes, vel viginti annis inter abſentes uſus erat, tantum dabat exceptionem, &, ex eadem æquitatis ratione, utilem actionem. *l. 10. ff. Si ſervitus vindicetur.*

II. Differebant autem Uſucapio, & Longi temporis Præſcriptio. (1.) Quod uſucapio erat modus acquirendi dominii Jure Civili introductus, adeoque poſſeſſorem faciebat dominum, eſt enim adjectio dominii. *l. 3. ff. de Uſurpat. & uſucap. l. 20. Cod. de pact.* Longi autem temporis præſcriptio poſſeſſori non tribuebat dominium, ſed jus dominio proximum ex æquitate prætoria, exceptionem ſcilicet & actionem utilem, ut ſupra dictum eſt. (2.) Uſucapio rerum mobilium anno, immobilium biennio ex lege XII. tabularum peragebatur &

ter-

terminabatur, præscriptio autem non nisi decem annis inter præsentes, viginti inter absentes. (3.) Usucapio tantum habebat locum in rebus immobilibus in Italia sitis, in mobilibus vero omnibus sine discrimine locorum. In prædiis autem provincialibus locum habebat præscriptio, non autem usucapio. vid. *princ. Inst. de usucap. & longi temp. præscript. tit. Cod. de præscript. longi temp.* 10. *vel* 20. *annorum & ibi Interpret.* Ratio est, quia prædia provincialia erant in potestate populi Romani, cujus dominium directum possessores agnoscebant solutione tributorum & stipendiorum. §. 40. *Inst. de Rerum div.* simimili modo, quo Emphiteuta solutione canonis agnoscit dominium directum ejus, à quo rem in Emphiteusin accepit. §. 3. *Inst. de Locat. & conduct.* & *tit. ff. Si ager vectig. pet. tit. Cod. de Jure Emphiteut.*

CAPUT IV.

Cæterum Justinianus has aliasque differentias inter Longi temporis præscriptionem & Usucapionem sustulit, & utramque eodem jure censeri voluit in *l. un. Cod. de Usucap. transform. & de sublat. different. rerum mancipi & nec mancipi.* & in *princ. Inst. de Usucap.* Sic ut jure novo tam ad longi temporis præscriptionem proprie dictam, quam ad usucapionem requiratur, I. Bona fides, sive, ut vulgo definiri solet, illæsa conscientia possessoris rem alienam, a se possessam, suam esse putantis, sive qui existimabat, eum, a quo rem accepit, dominum esse, vel saltem jus transferendi dominii habere, adeoque se jam statim, per traditionem, dominum effectum esse. *l.* 109. *ff. de Verb. signif.* & *princ. Inst. de Usucap.* §. 35. *Inst. de Rer. divis. l.* 27. *ff. de Contr. emt.* Bonam fidem autem sufficit adesse initio traditionis, sic ut scientia rei alienæ, sive mala fides postea superveniens, non impediat, nec interrumpat usucapionem semel bona fide inchoatam. *l.* 48. §. 1. *ff. de Acquir. rer. domin. l. un. Cod. de Usucap. transform. juncta lege* 15. §. *ult. & l.* 44. §. 2. *ff. de Usurp. & usucap.* Nisi quod in Emtione Venditione bona fides adesse debeat utroque tempore & contractus celebrati, & rei traditæ. *l.* 2. *ff. pro Emptore. l. pen. ff. de usurp. & usucap.* Ex qua supplendum est, quod deest legi 10. *eod. tit.*

II. Justus titulus, id est, Causa ad transferendum dominium idonea, ut Emptio, Donatio, aliæque, quæ extant in *lib.* 41. *ff. tit.* 3. *& seqq.* Sola enim diutina possessio, sine justo titulo obtenta, pro-

prodesse ad præscriptionem non potest, *l.* 4. *Cod. de præscrip. long. temp.* & nullo justo titulo præcedente, possidentes ratio juris quærere dominium prohibet. *l.* 24. *Cod. de Rei Vind.* maxime cum nuda traditio, licet a vero domino facta, nunquam transferat dominium, sed ita si venditio, vel alia justa causa præcesserit, propter quam traditio secuta est. *l.* 31. *ff. de Acq. rer. dom.* & eadem sit ratio transferendi dominii, si res sit tradita a vero domino, & transferendi conditionem, sive facultatem usucapiendi, si possessor rem consecutus sit a non domino. §. *pen. in fin. Inst. de Usucap. l.* 20. *Cod. de Pact.*

III. Ut res non sit vitiosa, sed ad usucapionem idonea. Ut enim res a bonæ fidei emptore, vel qui ex alia justa causa possidet, usucapi possit, talis esse debet, ut in se non habeat vitium. §. 5. *Inst. de Usucap.* Id est, ut neque natura, neque lege, juri usucapionis exempta sit; Nam ubi natura, vel lex inhibet usucapionem, bona fides possedenti nihil prodest. *l.* 24. *ff. de Usurp. & usucap.* Sic natura, per longi temporis præscriptionem, vel usucapionem acquiri prohibentur res extra commercium positæ, ut liber homo, res sacræ sanctæ, & religiosæ. §. 1. *Inst. de Usucap. l.* 9. *ff. eod. tit.* lege autem prohibentur usucapi res, quæ non possunt alienari, licet in commercio sint, ut fundus dotalis & bona fideicommisso obnoxia *l.* 16. *ff. de Fund. dot. l.* 2. *Cod. de Usucap. Pro herede.* juncta lege 28. *ff. de Verb. sign.* res pupillorum & minorum. *l.* 48. *ff. de Acqui. rer. dom l.* 3. *Cod. Quibus non obstat longi temp. præscript. l. ult. Cod. In quib. caus. in integr. restit. necess. non est.* bona adventitia filiorumfam. *l.* 1. §. 2. *Cod. de Ann. except.* Res Fisci & Principis. §. 4. *Inst. & l.* 18. *ff. de Usucap. l.* 1. *Cod. Ne rei dominicæ, vel templor. vindicatio longi temp. except. summoveatur.* Res Ecclesiarum, Civitatum, Gerontocomiorum, & similium Corporum. *l.* 23. *& Auth. seq. Cod. de SS. Eccles.* denique Res Furtivæ, & vi possessæ, nisi, vitio purgato, in possessionem domini rediverint, & deinde ad bonæ fidei possessorem pervenerint. §. 2. *&* 3. *Inst. de Usucap.*

IV. Possessio per traditionem acquisita, & per tempus, legibus definitum, sine interruptione continuata. Tempus autem usucapionis in rebus immobilibus Italicis olim ex lege XII. tab. erat biennium, in rebus autem mobilibus, tam in Provinciis, quam in Italia erat annus. Justinianus vero hoc biennium in rebus immobilibus mutavit in longum tempus decem annorum inter præsentes, viginti inter absentes, sive qui in diversis Provinciis degunt;

in rebus autem mobilibus annum mutavit in triennium, sine discrimine inter absentes & præsentes. *princ. Inst. de Usucap. l. ult. Cod. de Præscript. longi temp. l. un. Cod. de usucap. transform.*

CAPUT V.

Cum autem antiqua illa usucapio per annum vel biennium fieri solita, fuerit modus acquirendi dominii, ipso Jure Civili legis XII. Tabularum introductus, & Justinianus cum illa confuderit præscriptionem longi temporis decem vel viginti annorum, & differentiam inter res mancipi, & nec mancipi, nec non inter prædia Italica, & Provincialia, penitus sustulerit, certissimi juris est, præscriptionem longi temporis decem vel viginti annorum non amplius esse exceptionem, qua opposita, bonæ fidei possessor, a Domino conventus, se poterat defendere, ejusque petitionem excludere, & elusoriam reddere, non autem rem amissam ab aliis vindicare; sed esse modum dominii perfecte, & pleno jure acquirendi. *d. princ. Inst. de Usucap. d. l. unic. Cod. de Usucap. transform.* Quod summa nititur ratione, cum minus durum & iniquum sit, dominos per novam longi temporis præscriptionem & lapsum trium, decem, vel viginti annorum, quam per veterem illam usucapionem, lapsu anni vel biennii, rerum suarum dominio defraudari.

CAPUT VI.

I. His præmissis, videamus, quid sit præscriptio longissimi temporis, quæ primum est, & præcipuum nostræ Disputationis argumentum. Est autem nihil aliud, quam exceptio, qua is, qui rem alienam longissimo tempore possedit, a Domino ejus conventus, non cogitur eam restituere, sed potest eam retinere, ac se defendere opposita exceptione, sive præscriptione longissimi temporis. Tempus vero longissimum, secundum leges Romanas, est regulariter spatium triginta annorum, cujus præscriptionis auctor est Imperator Theodosius, quæque inde a quibusdam interpretibus vocari solet præscriptio Theodosiana. *l. 3. Cod. de Præscrip. 30 vel 40 annor.* Aliquando autem quadragenta annorum, quam vocant Anastasianam, quia auctor ejus est Imperator Anastasius in *l. 4. Cod. eod. tit.*

II. Re-

II. Regulariter actionibus tam in rem, quam in personam, præscribitur spatio triginta annorum, ex Constitutione Imperatoris Theodosii Junioris in *d. l.* 3. & Justiniani in *l.* 1. §. 1. *Cod. de Annal. except.* Non tamen omnibus omnino actionibus, sed illis, quæ olim erant perpetuæ & sempiternæ, nec unquam extinguebantur, scilicet actiones Civiles, quæ ex legibus, SCtis, vel Constitutionibus Principum nascebantur. vid. *princip. Inst. de Perpeti & tempor. action.* non autem illæ, quæ ipso jure veteri, certis temporis limitibus circumscribebantur, & intra illos instituendæ erant, nam hæ etiam post Theodosii Constitutionem manserunt temporales. *d. l.* 3. *in fin. Cod. de præscrip.* 30 *vel* 40 *ann.* qualis erant & hodieque sunt, Querela Inofficiosi Testamenti, & Querela Inofficiosæ Donationis, quæ intra quinquennium actio doli, quæ intra biennium, actiones Ædilitiæ, quæ, pro re nata, vel intra annum, vel intra sex, vel intra duos menses instituendæ sunt. vid. *l.* 8. §. *ult. ff. & l.* 34. *in fine Cod. de Inofficios. testament. l. ult. Cod. de Inoff. donat. l. ult. Cod. de Dol. mal. l.* 38. *l.* 28. *ff. de Ædil. Ed.* Ut & omnes actiones Prætoria annales, ut actio injuriarum, & quæ eodem jure cum illa censentur, de quibus vid. D. D. *ad Tit. Inst. de Perpet. & temporal. action.* Ut & actio specialis in rem contra bonæ fidei possessorem hæc enim eodem tempore præscribitur: quo Usucapitur Dominium rei, ad quam competit, id est, triennio, si res sit mobilis, decennio inter præsentes, vicennio inter absentes, si res sit immobilis, quia extincto Jure in re, extinquitur actio in rem, licet actio in personam duret, quamquam res debita sit Usucapta. *l.* 15. §. 1. *ff. de Condict. indeb. l.* 13. *ff. de Mortis causa. donat.*

III. In quibusdam tamen casibus in longissimi temporis præscriptione requiritur spatium annorum 40. ut (1) in actione hypothecaria contra ipsum Debitorem ejusque hæredem; Nam contra extraneum bonæ fidei possessorem hypothecæ perimuntur decem vel vigenti annis, cotra malæ fidei possessorem autem lapsu triginta annorum. *l.* 7. *Cod. de præscriot.* 30, *vel* 40. *ann.* (2.) In actione hypothecaria, quæ competit priori creditori contra creditorem pesteriorem, qui hypothecam possidet, si debitor communis vivat nam si sit mortuus, perimitur triginta annis. *d. l.* 7. *Cod.* (3.) In Actionibus sive in rem sive in Personam, super quibus lis est contestata, quatenus actio, ab ultima cognitione, postquam lis omissa est, intra 40 annos repeti & instaurari potest *l. ult. Cod. de*

Præscrip. 30 *vel* 40. *ann. l.* 1. §. 1. *Cod. de Annal. excep.* (4) In actionibus quæ competunt Ecclesiæ, aliisque Venerabilibus locis, & Civitatibus; Hæ enim cum ex Constitutione Justitiani in *l.* 23. *Cod. de SS. Eccles.* non nisi contenaria sive seculari centum annorum spatio extinguerentur, Idem Imperator, abrogata dicta leg. 23., postea eas 40 annis præscribi voluit per *Nov.* 111. *Cap.* 1. & *Nov.* 131. *Cap.* 6. (unde desumpta est Authentica, *Quas actiones dictæ legi* 23. subjecta) nisi quod sola Romana Ecclesia dicatur gaudere centum annorum spatio. *Dicta authentica. quas actiones* & *Nov.* 9. qua de re plura videri possunt apud Interpretes.

IV. Ultra quadraginta annos autem non extenditur longissimi temporis præscriptio, excepta unica actione, qua is, qui alea victus, id quod ex hac causa victori solvit, repetere sive condicere vult; Huic enim actioni non nisi lapsu quinquaginta annorum præscribitur. *l.* 1. *l. ult. Cod. de Aleatorib.*

CAPUT VII.

Ad præscriptionem longissimi temporis nihil requiritur, nisi possessio animo sibi habendi, ejusque non interrupta continuatio per tempus legibus definitum, sic ut sufficiat etiam possessio vi, clam, aut furtim acquisita. Nam in hac præscriptione Jure Civili nec Justus titulus, nec bona fides requiritur, nec ei vitium rei possessæ obstat, sed sola negligentia Adversarii possessorem vel debitorem defendit. Nam & Fures, Prædones, Raptores lapsu longissimi temporis liberantur, & Dominos ac creditores, res suas vel debitum petentes, repellere & excludere possunt. *l.* 3. & *l.* 4. *Cod. de præscript.* 30 *vel* 41 *ann.* Quamquam Jure Canonico malæ fidei possessor nullo unquam tempore, ne quidem tempore immemoriali, sive quod memoriam hominum excedit, præscribere possit, modo de mala fide constet. *Cap. ult. x. de Præscript. Cap possessor.* 2. *X. de Reg. Jur.* Mores Hodierni autem hac in parte sequuntur Jus Civile.

CAPUT VIII.

Effectus hujus Præscriptionis est; non quod possessor acquirat Dominium rei longissimo tempore possessæ, eamque, si possessionem

ſionem ejus amiſerit, vel à priſtino domino, vel a tertio poſseſsore vindicare poſſit, ſed quod exceptione peremptoria ſe defendere poſſit contra Dominum rem ſuam vindicantem, vel creditorem actione hypothecaria agentem. Ita tamen ut hac in parte aliqua ſit differentia inter eum, qui bona fide rem alienam, vel alteri obligatam triginta, vel quadraginta annis poſsedit, qui non modo tutus eſt præſcriptione longiſſimi temporis, ſi poſſideat, ſed & rem vindicare poteſt, ſi poſseſſionem amiſerit, & inter eum qui rem alienam longiſſimo tempore poſſedit mala fide, qui tantum habet exceptionem, non autem vindicationem contra priſtinum Dominum vel creditorem, ſi res ſine violentia ad eos pervenerit. vid. *l.* 8. §. 1. *Cod. de Præſcript.* 30 *vel* 40 *ann.* Si autem priſtinus Dominus vel creditor rem præſcriptam vi occupaverit, præſcribenti, licet ſit in mala fide, etiam contra Dominum vel Creditorem competit vindicatio *l.* 8. §. 2. *ſupra allegata.* Nec adverſatur huic ſententiæ, quod malæ fidei poſseſsor, ſive qui rem mala fide poſsedit & præſcripſit, ejuſque poſseſſionem amiſit, non ſit Dominus, adeque rem vindicare nequeat, ſed poſseſſionem ſola exceptione ſive præſcriptione defendere & retinere poſſit, vid. *l.* 23. *ff. de Rei Vind.* §. 1. *Inſt. de Actionib.* Nam non eſt infrequens in Jure noſtro, nec exemplo caret, quod ex Æquitate utilis actio in rem detur non Domino, ſive qui nec Jure Civili Dominium acquiſivit, vel Dominium, quod acquiſiverat, amiſit, contra regulam dictæ *legis* 23. Exempla vide in §. 34. *Inſt. de Rer. divis.* *l.* 5. §. 3. *ff. de Rei vind.* *l.* 29. & 30. *ff. de Donat. Inter Vir. & Uxor.*

CAPUT IX.

I. Præſcriptio longiſſimi temporis locum habet in omnibus rebus, non modo corporalibus, tam mobilibus, quam immobilibus, etiam vitioſis, veluti furtivis, vi, vel ſine bona fide & juſto titulo poſſeſſis, (ut ſupra latius demonſtratum eſt) ſed & in actionibus, ſive in rem, ſive in perſonam, in ſervitutibus prædialibus, & perſonalibus, in reditibus aliiſque præſtationibus annuis. vid. *l.* 3. 4. 7. §. *ult. Cod. de Præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* & *ibi DD.*

II. Ceſſat tamen in tributis, aliiſque, quæ Principi, ut Principi, ratione ſubjectionis, & in ſignum ſupremæ poteſtatis, debentur. *l.* 5. *Cod. de Præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* Quo pertinet vulgata

gatæ paræmia Juris Belgici, **tegens den Heere valt geen præscriptie**, id est, adversus dominum, aut Principem superiorem, non est locus præscriptioni. Sic, exempli gratia, is, qui fundum tributarium, id est, præstationi tributorum obnoxium, 40. annos possedit, nullo tributo præstito, ejus possessione privari nequit, utpote longissimi temporis præscriptione tutus; sed non est liberatus à præstatione tributorum, nec præteriti nec futuri temporis respectu. vid. *d. l. 6. Cod.*

CAPUT X.

I. Superest ut paucis videamus, quid hodie juris sit in Præscriptione longissimi temporis trientis seculi, & quo modo differat ab illa Juris Romani. Triens autem seculi, in hac præscriptione, continet spatium trium, & triginta annorum, quatuor mensium, &, secundum mores quorundam locorum, trium dierum. Hæc vulgo vocari solet **Verjaringe van een derdendeel van hondert jaaren.** Nam, sublata præscriptione 30. vel 40. annorum, ubique fere indistincte præscriptio longissimi temporis peragitur & absolvitur spatio tertiæ partis centum annorum. Vid. Lambert Goris *Adversar. juris, tractat.* 3. *parte* 1. *cap.* 9. & Ant. Matthei Paræmias Belgis JCtis usitatissimas, *Param.* 9. H. Grotii *Manuduct. ad Jurisprud. Holland. l.* 2. *cap.* 43.

II. In multis tamen convenit cum antiqua illa Romanorum præscriptione. Nam nec hic requeritur bona fides, aut justus titulus, sed sufficit sola possessio, quovis modo acquisita, & lapsu trientis seculi confirmata, quæ parem cum illa Romanorum vim habet & effectum. Quod aperte collegi potest ex his Regulis passim obviis in Municipalibus Belgarum Legibus & Statutis, *Præscriptie* **van een derdendeel van honder jaaren gaat voor alle Zeegel ende Brief. Naa verloop van een derdendeel van hondert jaaren sullen alle reelen en personeele actien doot zyn.** vid. Lambert Goris. & Ant. Matth. *Dict. Locis.*

CAPUT XI.

Æquitas & Utilitas omnium præscriptionum, sive longissimi, sive longi temporis, & Usucapionis, est, ne rerum dominia diu,

&

& fere semper essent incerta, & ut aliquis sit litium ac controversiarum finis. vid. *l.* 1. *ff. de Usur. & Usucap. l. ult. ff. de Usucap. pro suo.* Quare Gajus ait Usucapionem bono publico esse introductam *d. l.* 1. Cicero autem in Oratione pro Cæcinna eam vocat *finem sollicitudinis & periculi litium.* Accedit quod lex præsumat in Usucapione, & Præscriptionibus, aut verum dominum, vel creditorem, non amplius extare in rerum natura, aut rem suam, vel obligationem, & actionem habere pro derelictis. Quo sensu vere dixit Paulus in *l.* 28. *ff. de Verb. sign.* Alienationis verbum etiam Usucapionem continere: Vix enim esse, ut non videatur alienare; qui patitur Usucapi. Præterquam quod jura vigilantibus scripta sint, & quod intersit Reipub. habere Cives diligentes, & ad res suas attentos. vid. *l. pen. ff. Quæ in fraud. cred. l. ult. in fin. Cod. de Annal. except.* Ubi Justinianus ait: *Contra desides homines, & juris sui contemptores odiosas exceptiones oppositas esse.*



Corol-

Corollaria.

I.

Per ratihabitionem patris, postea supervenientem, Liberi ex clandestinis, vel, invito Patre, contractis nuptiis filii, vel filiæ-familias nati, non fiunt legitimi, sed manent spurii.

II.

Tutores & Curatores tenentur præstare dolum, latam, & levem culpam.

III.

Jus accrescendi non habet locum inter legatarios verbis tantum conjunctos.

IV.

Testator non potest remittere cautionem Usufructuariam.

V.

Venditor non cogitur rem venditam præcise tradere, sed liberatur præstando id, quod interest.

VI.

Periculum rei venditæ, sed nondum traditæ, pertinet ad Emtorem.

F I N I S.